

enim diu neglectum mortario inacescere. his fere utor primis diebus collyriis non sine ceteris auxiliis, prout res postulat, abstinentia dico, sanguinis detractone, meliusque ea ceteris proficere adfirmo.

XXIII. Cum vero pluribus quis diebus vexatus fuerit epiphora et per-  
 5 severantia umoris et pituita ipso calore oculorum glutinosior visa fuerit (quod fere sexto septimove die accidere solet), tum proderunt et ea, quorum genus superius improbavimus, composita ex rebus metallicis: facilius enim iam patiuntur oculi, si modo exulcerati non fuerint, iniuriam. quorum praecipue hoc mihi placet, quod a colore phaeon dicitur;  
 10 accipit autem haec: aeris usti  $\text{X}$  p. XII, cadmiae ustae  $\text{X}$  p. XII, stibii cocti  $\text{X}$  p. XII, acaciae chylismatis  $\text{X}$  p. VI, aloes  $\text{X}$  p. III, opii  $\text{X}$  p. II, croci  $\text{X}$  p. III, castorei victoriati pondus, myrrhae, lycii idem ponderis, commis  $\text{X}$  p. XVIII. aqua pluviali quae sunt dura tam diu teruntur donec levissima fiant, postea cetera alio mortario singula trita admiscentur;  
 15 cum tollendum est, commi adicitur. hoc quidam etiam in initiis utuntur cum ovi aquato liquore per se vel cum collyrio, quod a cinereo colore spodiakon appellatur.

XXIII. Collyrium spodiakon a quibusdam cinereum dicitur, componitur autem ex his: cadmiae botroitidos ustae super testam, donec in-  
 20 candescat, et vino Falerno extinctae  $\text{X}$  p. XL, cretae Samiae astra quam vocant Samias  $\text{X}$  p. LXXX, stibii cocti  $\text{X}$  p. XX, opii  $\text{X}$  p. X, commis Alexandrini  $\text{X}$  p. XX. teruntur haec omnia pluviali aqua, ultimum commi adicitur; ante hoc, cum cetera levia sunt facta, opium miscetur maceratum pridie aqua. facit hoc per se etiam initio, cum tenuis abundansque  
 25 fluit lacrima et pustulae molestae sunt, aut cum prima tuniula oculi